



Forum Ecclesiasticum

In Quo Jus Canonicum Universum, Librorum Ac Titulorum Ordine Per Quæstiones Et Responsa, Tam Canonistarum Veterum & Recentiorum, quàm Legistarum, in iis, quæ Utrique Juri, Canonico Et Civili Communia Sunt, Authoritate stabilita, Methodo clara & facili explanantur

Leuren, Peter

Moguntiae, 1719

Quæst. 427. In quibus ad fidelitatem & reverentiam exhibendam domino obligetur vasallus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73957](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73957)

aliquid solvi debeat, communi tamen ferè locorum omnium consuetudine introductum esse, ut pro nova investitura in recognitionem domini aliquid præstetur, quod relevium vocatur, ait Reiffenst. *b. r. r. 14. ex Schmid. ad tit. 12. a. 8. Jur. Bavar.* Quod etiam in hoc casu distinguitur à Laudemio, quod hoc præstetur tantùm, quando fit mutatio emphyteutæ; relevium autem solvi debeat tam, quando fit mutatio ex parte domini, quàm quando fit ex parte vasalli. In quo autem consistat, particularis cujusque loci consuetudo attendi debet.

Quæst. 427. In quibus ad fidelitatem & reverentiam exhibendam domino obligetur vasallus?

Respond. Eni rari ea omnia in *can. de forma. caus. 22. quæst. 5.* cujus textus etiam habetur *l. 2. feud. tit. 6.* & legi possunt apud Reiffenst. *b. r. r. num. 110.* Tenetur quidem exhibere reverentiam domino, sed non eam quæ consistit in non vocando eum in jus sine ejus ad hoc petita venia; ita Clar. *quæst. 25. cum Alex. in L. generaliter. ff. de in jus vocand. num. 7.* attestante de communi, eò quòd in consuetudinibus feudalibus non fit locus istis ambagibus; contrarium tamen tenente Molin. *loc. cit. §. 1. Gl. 4. post num. 36.* argumento ducto à liberto, cui id non licet respectu domini; quòd regulariter alias valet à libertis ad vasallos.

Quæst. 428. Ad quæ obligetur vasallus quò ad dominum adjuvandum, tuendum, alendum & liberandum è carcere?

1. **R**esp. primò: Vasallum teneri dominum adjuvare & defendere contra omnes, habetur *c. 1. quib. mod. feud. amitt. & quidem sumptibus propriis, nisi sit impotens, dicit cum Alex. in L. recusare. §. si quis alio. ff. ad Trebell. Clar. qu. 21. num. 1.* etiam contra proprium patrem, filium, fratrem suum. *Clar. num. 4. juxta expressum textum, §. fin. in tit. hic finitur lex. & communem, ut Zas. de feud. in 7. part. c. 4. num. 10.* Non tamen tenetur illum adjuvando & tuendo, præponere illius salutem propriæ salutis, ut cum communi Clarus, *quæst. 21. num. 3.* contra Gl. *in l. 1. §. eodem autem. ff. ad Sillan.* communiter reprobata, quatenus loquens de servis, arguit contra vasallos, ut teneatur salutem dominorum præponere propriæ. Sed neque tenetur dominum egenum alere, nisi ad summum in hisce duobus casibus; nimirum quando dominus ex facto & culpa vasalli ad inopiam pervenisset; vel quando vasallus abundaret divitiis, maximè si eæ provenirent ex ipsa re feudali, ut Clar. *quæst. 22.* cum communi, intelligendo id, quòd ad hoc cogi posset vasallus, non tamen feudum amitteret, si id non fecerit.

2. **R**esp. secundò: Justè incarcerati domini liberationem non teneri vasallum procurare habet communis. Sed intelligendum videtur de incarcerato ob delictum; cum, qui injustè deliquit, justè plectatur. Incarceratum tamen injustè, vel etiam justè ob debita, maximè ubi ea contraxit ex culpa vasalli, tenetur liberare, saltem impendendo pro liberatione operam, si non pecuniã, ut esse regulam dicit Clar. *quæst. 24. num. 1.* & licet Molinæ, *in consuetud. Paris. feud. §. 30. num. 146. in*

fin. dicat, quòd non observetur, quòd ad hoc cogi possit, aut id non faciendo feudum amittat, ait tamen Clar. se nunquam vidisse contrarium.

Quæst. 429. An vasallus obligetur rem in feudum acceptam meliorare, aut saltem non deteriorare?

1. **R**esp. primò: Non obligari vasallum ad rem feudalem meliorandam, nisi id specialiter cautum in investitura. Ita probabilis Castrop. *tr. 33. d. 9. p. 5. num. 2.* cum Rebell. *p. 2. de obligat. Just. l. 13. quæst. 2. in fin.* contra Sarmient. *l. 3. select. interpret. c. 4. Fachin. l. 1. controvers. c. 92.* Unde etiam finito sine culpa vasalli feudo, factæ citra obligationem meliorationes non cedunt domino sed vasallo ejusvè hæredibus, ut cum Gl. *in L. sed si quid. ff. de usufruct. v. rescicere. & Baldo in L. servatus. §. Marcell. de legat. & aliis Castrop. loc. cit. Laym. l. 3. tr. 4. c. 23. num. 7.* Rebell. *loc. cit.* vide de hoc dicta supra de emphyt.

2. **R**esp. secundò: Teneri tamen vasallum rem feudatariam non deteriorare; aliàs contrahit obligationem compensandi domino, quantum ejus intererat eam non esse deterioratam, *L. divortio. §. feudum. ff. soluto matrim. Jason. conf. 17. l. 1. col. 1. Ruin. conf. 38. l. 5. num. 1. Laym. loc. cit. c. 8. & alii, quos citat & sequitur Castrop. loc. cit. num. 3.* posseque vasallum ideo privari feudo, ait Castrop. *num. 4.* & de vasallo Ecclesiæ non esse dubium; quia expressum in *c. Federicus. §. quicumque. de pace tenenda.* De feudo quoque seculari idem esse; cum nulla sit ratio specialis, cur ob deteriorationem privetur feudatarius ecclesiæ, & non feudatarius secularis. Quod autem dicitur de emphyteusi, quòd ut ob deteriorationem privetur ea emphyteuta, debere eam contingere culpâ emphyteutæ saltem levi, & deteriorationem debere esse notabilem, idem dicendum videtur de feudo & feudatario. Item, quòd, dum plures res datæ in feudum, & deterioratio contingit in una non exinde reliquæ eximantur à commisso, & iis vasallum privari non posse, dici nequit; cum, etsi res sint plures, constituunt tamen unum feudum, adeoque unâ deteriorata, dici potest feudum deterioratum. Ut hæc de emphyteusi asserit Castrop. *loc. cit. num. 7.* citatis aliis. Ac denique sicut emphyteuta tenetur facere eos sumptus, qui necessarii sunt, ne res deterioretur, & propterea nihil detrahare potest de canone, ita etiam dicendum de vasallo. Castrop. *loc. cit.* citatis Rebello, *ubi supra. quæst. 3.* Molin. *tr. 2. de J. & J. d. 457.* Laym. *cit. c. 27. num. 7.*

Quæst. 430. An vasallus teneatur solvere tributa aliaque onera realia rei feudatariæ imposita?

Resp. Idem quòd ad hanc obligationem dicendum de vasallo, quòd dictum supra de emphyteuta. Castrop. *loc. cit. p. 6.* quæ proinde vide. Ut etiam idem dicendum de præstando domino obsequium à vasallo, quòd dictum de solvendo ab emphyteuta canone. Castrop. *loc. cit. p. 8.* quem vide.

Quæst.